

*De Nobilibus, Liberarum item et Regiarum Civitatum Civibus, a Solutione Nauli et Telonii, in Confiniis Militaribus immunitandis.*

#### Articulus 64.

Erga positam in eo querimoniam, quod in Generalatu Varasdinensi, Confiniis item Banali et Carlostadiensi, aliisque in obversum Articuli 59. An. 1618. aliarumque Regni Legum, a Nobilibus, Liberarum item et Regiarum Civitatum Civibus, Nauli et Telonii solutio exigatur, Sua Majestas Sacratissima, Status et Ordines Regni securos reddere dignata est, semet acceptis requisitis a Statu Militari Informationibus, eatenus id, quod Legis est, disposituram.

*Pro Differentiis quoad Limites Regni cum vicinis Provinciis finaliter terminandis et Metis rectificandis, Commissarii denominantur.*

#### Articulus 68.

Sua Majestate Sacratissima in consequentiam Articuli 11. hujus Diaetae ultro Benigne resolvante: ut, si quae Commissiones limitaneae per Articulares Commissarios decisaе, sed nondum relatae essent, quantocius referantur; a benigna porro ejusdem adprobatione pendentis, praevia ratificatione immediate Executioni mancipentur; hactenus autem indecisae, continentur: ac in quantum Controversiae ejusmodi limitaneae, seu per privatas Dominorum Terrestrium Conventiones, seu medio Commissariorum non articularium interimiter consopitae, vel etiam decisaе fuissent, per Commissarios articulariter denominandos, penes respectivorum Actorum limitaneorum extraditionem reassumantur et quantocius pro justo et aequo finaliter determinandae, in quantum Circumstantiae admiserint, usque futura Anno 1792. celebranda Regni Comitata Generalia, praevia Suae Majestatis Sacratissimae Benigna Ratificatione complanentur; Commissarii vero Articulares, de progressu et effectu operationum suarum eidem Diaetae fidelem et adaequatam Relationem praestare teneantur, SS. quoque et OO. fine accelerandae, per Suam Majestatem Sacratissimam clementer oblatae, complanandorum finalis complanationis effectum praemissorum, per eos, quibus incumbet, procurandum decreverunt: Siquidem autem Commissarii ad revidendas et terminandas finitimas Regni hujus cum vicinis Provinciis Controversias, in Artic. 16. An. 1765. denominati, partim medio tempore emortui essent, partim vero alias ob causas et rationes ab hoc munere obeundo impedirentur, idcirco renovatis hic loci quoque Articulis 39. An. 1715., Art. 17. An. 1723. ac in iisdem citatis, Eadem Altefata Sua Majestate Sacratissima Benigne annuente, per Status et Ordines Regni sequentes denominantur Commissarii, et quidem:

#### *Versus Styriam et Carnioliam.*

Ex parte Regnorum Croatiae, Slavoniae etc. cointelligenter cum Commissionem versus Styriam ex respectu differentiarum Comitatus Szaladiensis.